

toti insulæ olim fuisse Callidemus tradidit . Ea parte ,
qua a Boetia modico dirimitur Euripo , Chalcis urbs est
e regione Aulidis sita . Eam barbarus oppugnaturus ,
ponte Euripum junxit , sed id sub terrestrial copiarum
accessum . Circa nonas Junias classis , quæ naves habuit
trecentas , in quibus triremes centum & amplius fuere ,
ad urbem primo admota est : sed oppidanorum virtute ,
& eorum qui in urbe ad præsidium erant , tentata in
continentem eruptione , hostes ad naves compulsi sunt .
Ad quartum postea idus mensis Othomanus Rex cum cen-
tum viginti millibus Turcorum per Boetiam affuit : sub
ejus adventum pons ad Divi Marci fanum , mille circiter
passus ab urbe , Euripo impositus est . Hac copiæ in in-
sulam traductæ , Chalcidem corona cinxere . Machinæ ad
id ingentes pluribus locis admotæ , quæ quinque quotidie
& quinquaginta ictibus muros concutiebant . Triginta cir-
citer dies tenuit obſidio : quo tempore præter alia leviora
prælia circa muros per occasionem commissa , ter bar-
barus totis viribus urbem oppugnavit , quibus ad quinque
& viginti hostium millia occubuisse postea ex recognitio-
ne exercitus constituit . Sunt qui dicant , Turcorum con-
fessione auditum , quadraginta millia post Chalcidis ex-
pugnationem in castris desiderata . Sed interea dum urbs
terra marique oppugnatur , commeatus inopia Veneta
classis ex proxima Eubœæ statione , paucis hostium biremi-
bus per occasionem oppressis , in Cretam concessit , ubi
quatriduo fuit . Hieronymus Molinus insulæ dux , non
solum commeatum expediendum curavit , sed brevissimo
illo temporis spatio onerarias septem ad bellum instruxit .
Cum his igitur celeriter instructis , & ea classe quam
quinque & triginta triremium tunc habuit , ad pristinam
stationem rediit . Chalcidicæ interim oppugnationis fama
Venetas perlata , ingentem curam ac metum Patribus
injecit . Apparebat , nisi mature subveniretur , fore ut
nobilissima insula , & omnium aliarum , quæ in Ægeo
sunt , opportunissima , ab immanissimo hoste ingenti
Reipublicæ detrimento subigeretur : qua ille victoria elati-

tus,